

scuri terrae filii contremiscunt, quos maxime debebant
 nouis in academia aduenis, ad prima litterarum et iuris
 scientiae fundamenta rite iacienda, prae ceteris commen-
 dare, et tamquam rectissimae et tutissimae viae duces com-
 monstrare, eos ipsos occultis ac nefandis, quae lucem
 fugiunt, artibus deprimere, debitis laudibus maligne pri-
 vare, eorum scholas adolescentibus, turpiusculae frau-
 dis ignaris, quasi nihil inde ad vitam ciuilem, exercitatio-
 nemque forensem vtilitatis capere possint, suspectas red-
 dere nefarie conantur, qui denique, ne quid improbi-
 tatis desit, etiam in ipsos praeceptores suos, quibus omnem
 suam scientiam, cuius tarda et obtusa illorum ingenia
 fuerunt capacia, acceptam referre debent, et e quorum
 institutionis fontibus arida prata sua irrigare potuerunt,
 abiecto omni pietatis gratique animi sensu, acerbitate et
 rabie furere, morsuque viperino saeuire consueuerunt.
 In hos tales cadit sane illud Liuii, ^{p)} cum *nulla*, inquit,
*ingenia tam prona ad inuidiam sunt, quam eorum, qui ge-
 nus ac fortunam suam animis non aequant: quia virtutem
 et bonum alienum oderunt.* Huic malignitati quorum-
 dam, ac perniciosae optimum quemque supprimendi ca-
 villandique consuetudini, quae tamquam infelix arbor,
 in bonorum perniciem, fundique nostri opprobrium
 scelerata manu sata, altas radices egit, maxime tribuen-
 dum

C 2

p) Liuius *Lib. XXXV. c. 43.*